

415. **Resolves.** — 1^o Culpa vacant oscula, quae matres aut nutrices infantibus solent infigere. Idemque saltem ordinarie dicito de aliis, qui

ad amplexus et oscula huiusmodi coonestanda ostensionem amoris ac benevolentiae, eiusdemque fomentum seu finem quodammodo operis intrinsecum proferant, quaestionem autem de delectatione, quae vel actum comitetur, vel etiam quae forte intendatur, addant quasi de re, quae per accidens actui accedit. Et quidem haud penitus absurde quis forte putaverit graviores Auctores, dum *sensibilem* seu *sensitivam* delectationem hic nominant, nequequam indicare mere voluisse sensum ex rei lenis tactu exurgentem. Alia nimirum est sensitivi appetitus affectio, eaque modo suavis, modo insuavis, quae rationalis appetitus affectum, e quo oritur, fere comitatur, adiunctamque habet aliquam etiam corporis, ac praecipue motuum cordis modo suavem modo insuavem mutationem, unde vulgo cor dilatari, aut premi dicitur. Quae tamen affectio, corporisque immutatio adeo per se nihil commune habet cum delectatione venerea, ut imo vel piissimos in Deum affectus comitetur; ac propterea moneamur ne nimis inter spirituales exercitationes delectationi huic sensibili inhaereamus. Porro quo aptiori nomine, quam *sensitivae delectationis*. Auctores designarent hanc sensitivam affectionem, quae sponte exurgit et comitatur actus illos, quibus in casu exeritur et effectu aliquo ostenditur?

Atque hinc quidem sensus erui potest quarundam locutionum, quas quidam forte pertrahendas putarent ad significandam veneream delectationem. Audiatur Navarrus (*Man. c. 16. n. 12.*): *Sponsalia enim, quae initium matrimonii sunt, faciunt facultatem fruendi voluptate praeambula voluptati matrimoniali, quae singularis est eiusdem Caietani determinatio in 2. 2. q. 154. art. 4.* Atqui haec verba potius oppositum suadent. Si enim iuxta Navarrum ita se habet voluntas sponsis

concessa ad voluptatem matrimonialem, sicut ad matrimonium se habent sponsalia concludendum est, voluptatem illam praeambulam nihil esse aliud, quam dispositionem quandam alteri praeiviam. Quocirca sicut sponsalia ita sunt dispositio ad matrimonium, ut nihilominus de natura matrimonii nihil participant, ita et voluptas illa praeambula intelligenda est prorsus expers naturae illius voluptatis, quae exclusive maritalis est. Et hinc datur melius nosse, quid sibi velint illae locutiones Caietani a Navarro allegati, ubi (l. c.) scribit: *Videtur autem, quod sicut sponsalium inchoatio quaedam est coniugii; ita et huiusmodi actus (scil. osculum) inchoatio quaedam est carnalis copulae; seu (ut habet in Sum. V. Sponsalitia): Sicut sponsa inchoative est sponsi, ita delectatio venerea coniunctionis carnalis inter eos inchoative permittitur inter eosdem; constat autem oscula... non nisi inchoationem venereae delectationis importare.* Idem porro, ac supra, redit argumentum. Nam ita delectatio osculandi est inchoatio delectationis venereae sicut sponsalium est inchoatio coniugii. Atqui sponsalium est mera praevia ad coniugium dispositio. Apposite Filliucius (*Tr. 10. c. 9. n. 357.*) sensum horum Auctorum reddens, sic habet: *Si non sint impudici, hoc est, sint in partibus honestis, ut oscula, amplexus tactus manuum, et similes, licent, etiamsi intendant (sponsi) de iis captare delectationem sensitivam, non autem veneream. Ratio est, quia ut matrimonium de praesenti coonestat copulam, sic sponsalia, quae sunt inchoatio quaedam remota matrimonii, coonestant tactus illos, qui sunt inchoatio remota ad copulam.* Caiet. Navarr. Lopez et alii cum Sanchez. Ex quibus apparet, inchoationem utique ap-

infantes tenerae aetatis, etiam diversi sexus, secluso pravo quovis affectu, deosculantur.

2^o Non statim arguendi sunt de peccato ac multo minus de gravi juvenes utriusque sexus, qui in nonnullis iocis decenter et sine prava intentione se invicem amplexantur, quamvis ab eiusmodi ludis ob periculum eis adnexum avertendi sint.

3^o Mortalia vero haberi fere debent oscula minus usitatis corporis partibus impressa, praesertim inter personas diversi sexus, v. gr. pectori, etc., vel etiam si fiant morose, lingua praesertim in os introducta; item si sint diuturna, repetita, etc. — S. Lig. n. 417.

416. — 4^o Non peccant *per se*, qui se tangunt ad abstergendas corporis sordes, vel ad pruritus sedandum, aut ad infirmitates curandas; si tamen sit tolerabilis pruritus, insinuandum est, ut a tactibus, quatenus possint sine gravi molestia, abstineant. Magna tamen in his discretione Confessarius utatur, oportet. Huiusmodi enim dubia personas praesertim conscientiae timoratae vexare solent. Suasiones autem, si paulo vehementiores sint nec condiantur aperta declaratione de absentia alioquin cuiusvis reatus, saepius et facile conscientias molestissimis scrupulis implicabunt. — S. Lig. *Hom. apost. n. 3.* — Si vero tactus proprii corporis sine causa fiant, veniale non excedunt, quando, secluso affectu venereo, obiter tantum, et ex mera levitate aut curiositate habeantur, quia libidinis non sunt admodum incentivi. — S. Lig. n. 419.

5^o Tactus in verendis eiusdem sexus aut partibus vicinis, etiam super

pellari, ita tamen ut ipsam veneream delectationem excludat.

Illud etiam omittendum non est, S. Alphonsus in hac quaestione nullatenus propositionem XL ex proscriptis ab Alexandro VII obiecisit quae sic sonat: *Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.* Duplici autem ex causa repetendum id videtur. Nam primo quidem ea propositio loquitur de delectatione *carnali seu venerea* de qua quaestio non est (Vid. Duarte ad hanc Prop. n. 489., et Viva ad eandem Prop. n. 3.): hinc S. Alphonsus (lib. 3. n. 415.) ista propositione utitur, ut parvitatem materiae in re venerea non dari evinceat. Deinde

vero (etiam abstrahendo a delectationis specie) propositio ista exceptiones admittit uti patet ex coniugatis. Exceptiones autem non ex ipsa propositione quaerendae sunt, cum nullas praeferat, sed ex sensu scholarum catholicarum. Atqui catholicae scholae quaestionem, de qua agimus circa sponsos, ea propositione contineri ne suspicatae quidem sunt.

Hactenus dictis hoc solum addidisse iuverit, in eiusmodi quaestionibus plurimum prodesse distinctionem, qua et S. Alphonsus alibi (lib. 3. n. 416.) utitur, nimirum aliud esse agere propter delectationem, aliud agere cum delectatione. Uti enim superius (not. ad n. 411.) advertimus prior agendi ratio facillime ad ulteriora adducet.

vestes, ordinarie non excusantur a peccato gravi, nisi forte ex petulantia, ioco, levitate, et obiter fiant. — S. Lig. n. 420.

6° *A fortiori*, excluso necessitatis casu, excusari nequeunt a peccato mortali tactus in verendis diversi sexus, etiam brevi tempore habiti; quippe vix ab alia praeter libidinem causa procedere queunt et, praeterquam quod maxime indecentes sunt, proximum per se pollutionis aut venereae delectationis periculum creant. — S. Lig. n. 420. *Probabiliter* tamen arguendae non sunt de peccato gravi ancillae, quae forte tangant pudenda infantum, dum eos vestiunt, nisi cum mora aut carnali delectatione hoc agant. — Lacroix, n. 902. — S. Lig. *ibid.*

7° Veniale non excedit, *per se* loquendo, tangere leviter et absque mora digitos, manus, vultum personae diversi sexus, secluso pravo fine, atque omni affectu et periculo libidinis, si haec, v. gr. ex mera levitate fiant, nec periculum speciale ratione propriae vel alterius fragilitatis adnexum habeant.

Caeterum cum in materia tam lubrica non semper facile pateat, quid veniale sit, aut mortale, et aliunde cum non raro proximum adsit periculum graviter delinquendi etiam in iis, quae leve peccatum *per se* non excedunt, v. gr. si crebro et cum mora fiant inter personas ad libidines proclives; quam maxime Confessario satagendum est, ut poenitentes praesertim iuniores a quibusvis tactibus cum diverso sexu removeat.

ARTICULUS II. — DE ASPECTIBUS OBSCENIS

417. **Statuenda.** — I. Aspectus turpes sine causa sufficienti sunt graviter aut leviter peccaminosi iuxta intentionem agentis, turpitudinis gradum, et consensus venerei periculum. Facilius a gravi reatu excusantur in se quam in aliis, quia propria minus movent, quam aliena. Item facilius excusantur, si agatur de persona eiusdem sexus, quam sexus diversi, quia minus ad libidinem provocant.

II. Aspectus graviter impudici sine gravi causa praesertim quoad personas diversi sexus, a peccato mortali non sunt *per se* excusandi, licet affectus venereus absit; quia fere proximum libidinis periculum procreant, ut supra de tactibus pravis dictum est. — S. Lig. n. 421. — Generatim tamen facilius a gravi peccato excusantur aspectus quam tactus turpes, quia minus in libidinem influunt.

QUAER. *An aspectus, non secus ac tactus, induant malitiam circumstantiarum personae, quae turpiter aspicitur?*

Resp. Neg. probabilius, si absque ullo desiderio fiant. Ratio est, quia non censentur proprie natura sua in actum consummatum tendere. — S. Lig. *ibid.* — Lacroix, *ibid.* — Hinc aspectus personae consanguineae vel coniugatae, aut sacrae, non induit malitiam incestus, adulterii, aut sacrilegii.

418. **Resolves.** — 1° Excusantur *per se* a mortali personae eiusdem sexus, quae se nudas leviter aspiciunt simul natantes aut se lavantes, praesertim si impuberes sint. — *Ita communiter.*

2° Aspectus in verenda diversi sexus aut in partes vicinas ordinarie sunt peccata mortalia, nisi forte visio fiat a longinquo et per brevissimum tempus; quia aspectus huiusmodi aut a libidine oritur, aut certo proximum periculum peccandi inducit. Nec excusaris a gravi, si partes turpes velo tenuissimo et perlucido aspicias, quia fere talis aspectus libidinem auget, nedum minuat. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 421. — Excipiunt, 1° si aspiciens sit puer vel valde senex, aut valde frigidus, quia isti parum moventur; 2° si oculi defigantur in infantulum, quia parum movet. Unde non censentur graviter peccare ancillae et nutrices, quae pueros sibi commissos sic aspiciunt, nisi morose vel iteratis vicibus pravoque affectu id faciant.

3° Aspectus in partes honestas personae diversi sexus, etiam pulchrae, *per se* non sunt peccata; si autem ex curiositate vel cum morositate aliqua fiant, peccata venialia *ordinarie* erunt; a mortali vero non excusabuntur aspectus diuturni, si proximum periculum involvant turpis concupiscentiae vel morosae delectationis; praesertim si commotio spirituum insurgat, et *a fortiori* si persona inordinato amore diligatur. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 422.

4° Aspectus in partes minus honestas sed non turpes mulieris, scilicet pectus, brachia, crura, non sunt *per se* peccata mortalia, secluso tamen proximo pravi consensus periculo, quod alioquin facile aderit, si aspectus sit diuturnus. — S. Lig. n. 423. — Nec graviter peccant, qui secluso speciali periculo matres aut nutrices infantulos lactantes aspiciunt, aut in denudatum pectus mulieris vetulae aut iunioris non adhuc formatae oculos figunt.

5° Aspectus picturarum obscenarum ex mera curiositate ut mortalia non habentur, si delectatio turpis aut eius proximum periculum absit. — In praxi tamen vix a mortali posset excusari vir aspiciens pudenda mulieris depictae, quia difficulter cavere poterit a delectatione turpi, nisi forte per brevissimum tempus aut in magna distantia fiat, aut nisi picturae vetustas vim artificii imminuerit. — S. Lig. n. 424. — Billuart autem cum *aliis* excusat a mortali, si aspectus fiant ex levitate, obiter, ex curiositate, aut si picturae infantes tantum repraesentent: quia pieta non commovent sicut naturalia; et hoc improbabile non videtur, nisi forte ob aspicientis fragilitatem aliter iudicandum sit.

ARTICULUS III. — DE SERMONIBUS ET LECTIONIBUS, IMPUDICIS.

419. **Principia.** — I. Turpia loqui, canere, scribere, audire delectationis venereae causa vel cum proximo periculo consensus in illam, est grave peccatum. Si vero absit prava intentio et periculum consensus, simulque adsit legitima causa talia proferendi, scribendi, audiendi, nullum est peccatum.

II. Libros omnino obscenos legere absque iusta causa est peccatum mortale, etiamsi ex curiositate vel recreationis gratia fieri id videatur; quia *per se* haec lectio valde ad libidinem provocat. Excipe forte, nisi legentes ex sola curiositate ob aetatem provectam et frigidam complexionem aut consuetudinem de rebus venereis tractandi grave libidinis periculum non incurrant. — S. Lig. n. 426.

III. Libros amatorios et leviter obscenos legere *per se* non est mortale, quamvis in praxi sit valde periculosum praesertim iunioribus. Libros autem quadantenus obscenos, de scientiis alioquin tractantes, ex solo scientiae vel utilitatis propriae vel alienae intuitu legere, *per se* non est peccatum, secluso tamen consensus venerei periculo, quod alioquin in iunioribus raro aberit.

420. **Resolves.** — 1^o Graviter peccant generatim, qui sermones permiscent etiam ex levitate de actu coniugali, de licitis et illicitis inter coniuges, de modis impediendi generationem, procurandi pollutionem..., praesertim si inter iuvenes diversi sexus id fiat.

2^o Graviter peccant, qui etiam sola verba turpia proferunt, si id faciant ob delectationem captam ex ipsa rerum turpium cogitatione. Nec a gravi excusantur, qui iocandi praetextu verbis aequivocis, sed satis notis, eadem ob eam delectationem exprimunt. — S. Lig. n. 426.

3^o Graviter etiam peccant, qui ob iactantiam narrant propria peccata turpia, et quidem ordinarie tripliciter, peccato nempe complacenticiae, scandali et iactantiae de peccato commisso.

4^o Non est *per se* mortale proferre turpia quidem, sed non graviter obscena, si fiat breviter, per iocum aut vanum solatium, nisi audientes ita debiles sint spiritu, ut grave scandalum patiantur. Hinc communiter non sunt gravia dieteria turpia, quae proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, mulionibus, quia ad merum iocum ordinarie dicuntur et audiuntur. — S. Lig. n. 426.

5^o Non semper ut mortalia sunt habenda tenera colloquia cum personis diversi sexus, quamvis periculis plena sint, praesertim si sint diuturna, saepe repetita, aut in locis solitariis fiant. — S. Lig. n. 422, 426. Quid ergo iudicandum de amoribus, ut vocant, praesertim inter iuniores? — Non sunt indiscriminatim omnes culpa mortalis damnandi;

quamquam saepe occasio proxima letaliter peccandi difficulter aberit, saltem in progressu et accedentibus quibusdam adiunctis, ut si adamantes omnino soli praesertim per longius tempus aut noctu, etc. conveniunt. — S. Lig. *Praxis Conf.* n. 63.

6^o Non peccant graviter, qui ex mera curiositate legunt libros lepidos, quia ad libidinem non graviter excitant, nec magno periculo exponunt, ut sunt multae comoediae vel poemata. — Si vero ob causam legitimam, v. gr. ad discendum aut ad acquirendam eloquentiam id faciant, nullatenus peccant.

CAPUT II.

DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATIS

ARTICULUS I. — DE PECCATIS CONSUMMATIS IUXTA NATURAM

§. I. *De fornicatione.*

421. — Fornicatio est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu.

Fornicatio est graviter prohibita iure naturali et divino positivo, ita ut a peccato gravi excusari nunquam possit. Constat 1^o ex Scriptura, 1. *Corinth.* 6. 9.: *Neque fornicarii regnum Dei possidebunt.* — *Ephes.* 5. 5.: *Omnis fornicator aut immundus... non habet hereditatem in regno Christi.* — 2^o Ex ratione: nam si fornicatio permitteretur, plerumque homines a matrimonio contrahendo recederent, prolesque ex fornicatione suscepta absque ulla educatione derelingeretur, unde et subversio ordinis socialis necessario sequeretur.

Ad fornicationem referuntur 1^o concubinatus, qui est commercium habituale soluti cum soluta; — 2^o meretricium, quod est status mulieris omnibus prostitutae.

Circumstantia concubinatus aut meretricii non est necessario in confessione declaranda, cum *per se* speciem peccati non mutet. *Per accidens* autem saepius est explicanda ad statum et genus occasionum manifestandum, semperque Confessario interroganti aperienda est. — S. Lig. n. 432.

§. II. *De adulterio.*

422. — 1^o Adulterium est copula cum alterius coniuge, seu est accessus ad *torum* non suum.

2^o Adulterium praeter peccatum contra castitatem aliud includit contra iustitiam. Patet ex ratione, constatque ex variis sanctae Scripturae locis.

3^o Adulterium committitur, etiamsi alter coniux consentiat; quia in omni casu violantur iura Sacramenti et contractus indissolubilis; quae quidem iura natura ipsa exigit, ut prorsus inalienabilia sint.